

Klausur-Beispiel für Latein II:

In seiner ersten Staatsrede unterstützt Cicero einen Antrag des Manilius, der darauf zielte, Pompeius den Oberbefehl im Krieg gegen Mithridates zu übertragen; dabei lobt er Pompeius in den höchsten Tönen:

Text:

Quis igitur hoc homine scientior umquam fuit aut esse debuit, qui e ludo atque pueritiae disciplinis bello maximo atque acerrimis hostibus ad patris exercitum atque in militiae disciplinam profectus est, qui extrema pueritia miles in exercitu summi fuit imperatoris, ineunte adulescentia maximi ipse exercitus imperator, qui saepius cum hoste conflixit quam quisquam cum inimico concertavit, plura bella gessit quam alii legerunt, plures provincias confecit quam alii concupiverunt, cuius adulescentia ad scientiam rei militaris non alienis praeceptis, sed suis imperiis, non offensionibus belli, sed victoriis, non stipendiis, sed triumphis est erudita. Quod denique genus belli esse potest, in quo illum non exercuerit fortuna rei publicae? Civile, Africanum, Transalpinum, Hispaniense, servile, navale bellum, varia et diversa genera et bellorum et hostium non solum gesta ab hoc uno, sed etiam confecta nullam rem esse declarant in usu positam militari, quae huius viri scientiam fugere possit.

Iam vero virtuti Cn. Pompei, quae potest oratio par inveniri? Quid est, quod quisquam aut illo dignum aut vobis novum aut cuiquam inauditum possit afferre? Neque enim illae sunt solae virtutes imperatoriae, quae vulgo existimantur, labor in negotiis, fortitudo in periculis, industria in agendo, celeritas in conficiendo, consilium in providendo, quae tanta sunt in hoc uno, quanta in omnibus reliquis imperatoribus, quos aut vidimus aut audivimus, non fuerunt.

Hilfen:

Z. 1: e ludo atque pueritiae disciplinis: aus der Grundschule und der weiterführenden Ausbildung

Z.8: offensio: hier: Niederlage

Z.13: in usu militari: Im Kriegswesen

Z.15: Stellen Sie um: quae oratio potest inveniri par virtuti Pompei?